



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mater Amoris Et Doloris**

**Ginther, Anton**

**Augustæe Vindelicorum, 1711**

**VD18 15312348**

Consideratio XXXVIII. Virgo Dolorosa S. Joanni Virgini à Christo in cruce  
moriente speciali modo commendatur. Emblema. Adamas, gemma  
purissima in mensa expositus cum lemmate: In puritate pretium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

## CONSIDERATIO XXXVIII.

Virgo Dolorosa S. Joanni Virgini à Christo in cruce  
moriente speciali modo commendatur.



*Deinde dicit Discipulo. Ecce Mater tua.*

*Ioan. 19. 27.*

**D**avid Israëlitarum Rex morti nunc proximus diversa filio suo Salomoni dedit monita, ubi inter alia & fidelitatem Berzellai, quod in omni adversitate sibi constans ac fidelis permanserit, emphaticè illi commendavit; & quia tum temporis intervallo Berzellai jam profectæ erat etatis, voluit moriturus Rex, ut & posteris ejus ac filiis idem honor haberetur: Sed & filiis Berzellai Galaaditis redde gratiam, eruntque co-  
*Mater Dolorosa.* Q. q. *medentes* s. Reg. 2. 7.

*medentes in mensatua: Occurrerunt enim mibi, quando fugiebam à facie Absolon fratris tui.*

Non Davidem in molli lectulo morientem hodie ad considerandum tibi propono, anima Christiana! sed Filium Davidis in durissimo crucis truncu expirantem, heu quād diffimilis utriusque lectus, vita & mors! ille moriens Berzellai fidem summis extulit laudibus; hic dilecti sui Discipuli fidelitatem, amorem & constantiam: *Tu es, qui Lue. 22. 28. permanisti mecum in temptationibus;* proinde jure merito prae alijs Apolo-  
*Joann. 21. 7. lis hoc peculiari titulo honoratus est; Discipulus, quem diligebat JESUS.* Et ut amorem suum pientissimus JESUS nunc in cruce moriens adhuc majori cum energestate in eum demonstraret, dolorosissimam Matrem suam, quā nihil habebat preciosius, illi tanquam fratri suo iiii Matrem, *Joann. 19. 27. solatum ac praesidium designavit: Deinde dicit Discipulo: Ecce Mata tua.* O dilecte Christi Discipule! quomodo facta est ribi hereditas tua praeclara! Verè magnam in conspectu crucifixi Magistri tui inveniti gratiam, dum factus es heres, ac filius talis ac tantæ Matri, imo & inter Filij DEI, gloria haec sola tua est, & illarum piarum mentium Christo crucifixo & dolorosæ Matri ejus fideliter inservientium, ac cruci abstinentium.

2. Sed dic, ô Domine! quare hanc Sacratissimam Matrem tuam non Petro, aut Andreæ, aut Jacobo, aut alij Discipulorum tuorum commendasti? Subintrat hic B. Petrus Damianus: *Committit, inquit, Dc- z de S. Joann. minus Petro claves Ecclesie, volnit & B. Joanni custodiam MARIAE deli- gare, utraque nimurum Mater, Mater MARIA, Mater Ecclesia, sed MARIA Mater Christi, Ecclesia Mater populi Christiani; de MARIA Christi carnem suscepit, Ecclesiam verò de lateris sui carne produxit.* Verume in- verò hic advertas, rogo, prudens lector! magnam inter utramque Ma- trem disparitatem, *hinc enim Sacratissima Deipara longior dignitas est Ecclesie,* quia Mater DEI est, quæ dignitas juxta Angelicum aliquam haber infinitatem, ita & dilectus ille Christi Discipulus longe eminen- tiori gradu in hoc S. Petrum antecedit. Quare ergo non Principi Apo- stolorum aut alij Discipulorum haec pientissima Mater commendata est?

*S. Epiph. ha- Rationem assignat S. Epiphanius: Manifestum est, inquit, quod propter ref. 78. virginitatem Joanni Matrem commendavit Dominus. Et S. Ambrosius: S. Ambr. de Tradita est Virgo Joanni conjugium nescienti. Hinc & Ecclesia: Cui Chri- institut. stus in cruce Matrem Virginem, Virgini commendavit. O beata Virginis Virg. c. 7. tas! ô salutaris continentia! quanto in pretio apud DEUM & Hominem Christum es, quietam in cruce moriens inter lilia pasci voluit. O ani-*

me mi! si vis B. Virginem habere in Matrem, imitare pro viribus S. Jo- *Ecli. 35. 2.*  
annis puritatem: Et obviabit tibi quasi Mater honorificata; & sicut in gem-  
marum republica princeps est adamas, ed pretiosior, quo purior, un-  
de Lemma:

## In puritate pretium.

Ita continentis animæ non est digna ponderatio: Gemmâ pretiosior *Ecli. 6. 15.*  
omni est; impuros odit, & arcet hæc purissima Virgo: Casta placent  
superis; foris canes & impudici. Audite Mellifluum: Virgo, inquit, *S. Bernh. in*  
*diligentis se, & prope est in veritate invocantibus, præsertim his, serm. sup.*  
*quos videt conformes sibi factos in castitate & humilitate, &c.* *Salve.*

3. Recordor hic illius Ethai Gethæi, qui quondam Davidi Regi à  
facie impij Absolonis profugo, dum nunc clivum olivarum nudis pedi-  
bus & operto capite flens ascenderet, ex industria occurrit, eis se ad eos-  
dem casus & aerumnas, ipsamque mortem perferendam offerens: *Vivit* *2. Reg. 15. 21.*  
*Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris,*  
*Domine mi Rex, vive in morte, vive in vita, ibi erit servus tuus.* Plus in  
S. Joanne, quām in Ethai suspice, qui non tantum Dominum ac Regem  
suum ad clivum olivarum, sed ad clivum Golgothæum, ubi erat cruci  
suffigendus, contempto omni mortis periculo & Judgeorum odio ac op-  
probrio, cum afflictissima Matre fidelissimus comes secutus est, quem  
ubi patiens JESUS sanguineis oculis juxta crucem stantem vidit, prius-  
quam Spiritum suum in manus Patris commendaret, hunc suum Dile-  
ctum in manus Matris suæ commendare voluit: *Mulier ecce Filius tuus.*  
Mulier dixit: *Ne materna pium laceraret pectora nomen*, ait Baptista Man-  
tuanus. Tum ad Discipulum conversus ait: *Ecce Mater tua: hanc pro-*  
*inde filiali amore observa, cole, solare, ama & cura, & siquid mihi de-*  
*bes, illi impende, quemadmodum à me vidisti eam coli, amari & cura-*  
*ri.* Juvat hīc audire S. Augustinum: *Ecce mater tua; curam, inquit, il-* *lius habe, eam tibi commando, suscipe Matrem tuam.* *Dum* *hac paucæ dice-* *S. Ang. ser.*  
*ret: Illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant; tacebant ambo illi Mar-* *tyres, & præ nimio dolore loqui non poterant; isti duo Virgines Christum au-*  
*diebant & voce loquentem, & ipsum videbant paulatim morientem, ama-*  
*reſiebant, qui amare dolebant: Nam gladius doloris Christi animas utrorum-*  
*que tranſibat.* O si stylo ferreo hoc tertium Christi morientis Verbum in-  
timis cordis nostri medullis insculperemus! secundum exemplar illius  
Religiosissimi Viri, de quo recenset Landolphus, qui, quotiescumque *Landolph.*  
*hec verba; Ecce Mater ita vel audiebat, vel meditabatur, totus ibat in in vita Chr.*

Q q 2

lacry- hic.

lacrymas, quibus cibum & potum s̄epissimè miscebat. Heu ubi nostra compassio? Ubi nostræ lacrymæ & animi contritio? Ubi verus & sincerus amor erga tales Filium ac Matrem? O pientissima Domina! transfige cor nostrum eodem & amoris & doloris gladio, ut afflictissimi cordis tui semper memores intimè tibi compatiamur, atque pro viribus in sustinendis adversis te imitemur. Ita fiat, ô Domina! sed pergamus ulterius.

**R. Reg. 14. 7.** 4. Magnam sibi laudem quondam promeruit adolescens ille genitus, & armiger Jonathæ, qui Domino suo ultro se se obtulit, ad quæ cuncte cum ipso sustinenda pericula: *Dixitque ei armiger suus: Fac omnia, quæ placent animo tuo: Perge, quod cupis, & ero tecum ubiquecumque volueris.* Accidit, ut Jonathas peculiari instinctu DEI difficillimam contra Philistæos pararet expeditionem, ubi necessè erat per altas & præruptas petras manibus ac pedibus reptare. Et quid hic adolescens? *Ascendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus possum;* qui exinde unâ cum hero suo maximam Philistinorum stragem edidit, dum ipsi hostes mutuâ se cæde trucidârunt.

**P. Iohu. 17. 17.** Per Jonatham Christum subaudi cruce oneratum, & manibus ac pedibus per asperoram Calvariæ rupem reptantem, ut prælium cum hostibus suis, vah quam cruentum consummareret. Per armigera recte S. Joannem intelliges cum dolorosissima Matre Dominum suum in ascensu tam diffici constantissimè sequentem, & inter medios & acerrimos hostes prorumpentem, nec eorum opprobria, tela, enses & hastas formidantem. Tanta vis amoris sinceri est. O fidelissimum amicum, de quo recte illud sapientis: *Omnis tempore diligit, qui amicus est: Et si sit in angustijs comprobatur.* In convivio Simonis & in cena ultima nullus Discipulorum defuit; sic nimirum ubi de patinis agitur, multos numerabis amicos, jam cum pender in patibulo mitissimus Magister, vix unus cohaeret Discipulus & cum eo dolentissima Mater; dignus proinde, quia socius passionis, ut & Christi Frater fieret & Filius tantæ Matris. O verus Beniamin, id est, Filius doloris, quia sub cruce tempore passionis & summi doloris genitus est: *Ecce Filius tuus.* Supra quod **Gen. 44. 20.** Guarrie. **Guarricus Abbas:** *Decebat, inquit, ut Matri Domini non alius obsequie. Abb. ser. 4. de Assumpt.* retrum, quam Dilectus Filij; quatenus & Mater semper suspirans Filium, in Dilectum Filij suavius respiraret.

5. Mirabitur nonnemo, quare Joseph Ægyptiorum Pro-Rex vir alias mitissimus in fratres tamen suos adeò austerus fuerit & tanquam ad alienos durissimis verbis fit illis locutus? aut forte non amabat illos? & qui-

& quidem sincero ac fraterno amore; cur ergo illos tam dure tractavit,  
ac præsertim uterum fratrem suum Beniaminum, in cuius sacco oc-  
culte calicem suum imponi, & velut furem ingratissimum eum com-  
prehendi jussit: *Scyphum autem meum argenteum* & *preium quod dedit tri-* Gen. 44. 8.  
*tici, pone in ore facci junioris.* *Fatuumque est ita.*

Verum enim verò alia sunt D E I, alia hominum judicia, ad hoc  
enim faciendum eum summus compulit amor, amabat quippe fr̄at̄es  
suos, & ideo quia amabat, eos cruciabat, non ignorans, quod in amore  
non vivatur sine dolore; hinc & dilectissimo & innocentissimo fratri suo  
Beniamino omnium minimo calicem in saccum occulte mitti jussit,  
quia eum ferventius quam cæteros omnes diligebat: *Scyphum misit*, ait  
S. Ambrosius, *ut fratrem, quem diligebat, piâ frandere revocaret: rem sta-* S. Ambr. i. 8.  
*tit rapine, ut obijdem teneret gratia.* hunc. loc.

Dixi: Inter cæteros Apostolos S. Joannes Christo verus Beniamin  
exitit, & inter dilectos omnes dilectissimus, unde & in suprema illa  
cena ob eminentem castimoniam decorem eum in Divinissimo pectore  
suo recumbebat fecit, ut ex hoc gratiarum fonte fluenta hauriret sacri  
Evangelij & secreta Divinitatis. Sed & amarissimum passionis suæ ca-  
licem ipsi præ cæteris omnibus propinavit, atque inter Apostolos pri-  
mum Martyrem effecit, non tunc, quando calicem veneno mistum sine  
damno ebibit, aut in ferventis olei dolium missus est, aut ob invictam  
evangelizandi constantiam in Pathmos insulam relegatus, sed tunc po-  
tissimum passionis & martyrij calicem babit, quando patienti JESU in  
cruce & afflictissimæ Matri ejus concrucifixæ adstitit. Audiamus do-  
ctissimum Osorium: *Crucifixus, inquit, fuit ejus gladius, hic enim Marty* Oforius, que  
*rem fecit, & idem doloris gladius, qui Cor MARIAE transverberavit, scili* citat Vanh.  
*cet Christus in carne, hic idem Joannem Martyrem fecit; o illustre marty* in Panegyr.  
*rium! quem Christi dolores Martyrem efficerunt, verè calicem Christi babit* de hoc S.  
Joannes, dum Christi passione ipse torquetur. Valde igitur honorandus est  
beatus Joannes, quia Filio DEI dilectissimus, quia et simillimus, quia  
Virgo in ævum permansit; quia Christo patienti & dolorosa Matri in-  
dividuus comes; quia à moriente JESU in donum SS. Matrem suam ac-  
cepit, quod summoperè ejus celitudinem commendat; quia cum Matre  
dolorosa viginti duos circiter annos sanctissime conversatus, &c. Quas  
ergo referemus tanto viro gratias? Quid pro tot fidelissimis SS. Deipa-  
ræ ac Dominae nostræ obsequijs impensis? Et quid est, quod apud talem  
ac tantam Matrem nobis non valeat impetrare? Hinc rectè Arnoldus Arnold.  
Carnotensis: *Intueor ergo quadrigam, quā currendum est ad Patrem, sic Carnot. 17.*  
*debere de V. D.*

*debere distingui, ut per te, ô Joannes! ad Matrem, per Matrem ad Filium; per Filium verò pertingere possit pœnitentis affectus ad Patrem. Fac hoc, mi Lector! & vives.*

6. Revertor ad afflittiſſimam Matrem, jam non Matrem DEI,  
*Johann. 19. 26. sed Filij Zebedæi: Mulier, ait moriens JESUS, ecce Filius tuus. O du-*

*ram ab expirante tali ac tanto Filio consolationem, omnium piarum  
mentium commiseratione dignissimam: O sermo, tubintradat hic Mellili-*

*S. Bern. ser. fluus, qui & ipse hīc desinit esse melleus: O sermo! penetrabilior omni gla-*  
*super Sig. dio ancipi, pertingens usque ad divisionem anime & spiritus; quomodo san-*

*Magn. diſſimam animam tuam non pertransiret hēc auditio, quando hēc nostra, li-*

*cet saxea, licet ferrea pectora ſolā recordatione franguntur: Mulier ecce Fi-*

*lius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro JESU traditur, servus pro*

*Domino, Discipulus pro Magistro, Filius zebedæi pro Filio DEI, homo pu-*

*rns pro DEO vero. Et quid ad hoc mœſtiliſſima Virgo? Audi ipsam ad*

*S. Birgittam loquentem: Tunc rupta ſunt omnia viſcera mea pre compaſſione Filii mei, &c. Audiebat quidem vocem dulciſſimi ſui Jacob, vo-*

*cem amabilem, vocem ſibi notiſſimam atque dilectiſſimam, & quidem*

*Cant. 5. 6. nunc ſupremam: Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus meus locutus eſt.*

*Zachar. 3. 3. Sed non aliud videbat niſi manus Esau: Et J E S U S erat induitus vefibis*

*fōrdidis, tormenta enim, quæ patiebatur, illum mortis reum, ac pec-*

*Ia. 53. 12. catorem infamem indigitabant, mox autem inſonatem declarabat Jaco-*

*bum, quia ipſe peccata multorum tulit. O luctus! ô moeror! ô dolor!*

*magnus quidem erat S. Joannes, ſed rāmen Filius DEI non erat, ſed*

*Zebedæi pifcatoris. Verūm quia placuit Diviniſſimo Filio, placuit &*

*dolorofiſſimæ Matri, quorum cor unum & anima una erat, hinc eum in*

*Filiū adoptiū lubenti animo acceptavit, & loco amanifſimi Filij,*

*quoad vixit, & in cœlum migravit, conſtanter habuit, cum quo ſæpius*

*de Christi patientis & crucifixi doloribus, aliisque arcaniſſimiſi mysteriis*

*peramanter conferebat: Et quis dicer, quantum dilectus ille MARIE*

*Filius ex quotidiana hac conuerſatione in virtutum ac ſcientiarum ſub-*

*limiſſimarum genere profecerit? Juvat hīc pro reflexione morali audire*

*B. Dam. in B. Petrum Damianum: Sicut, inquit, S. Joannes stans veipsa cum Virgiñe*

*hunc loc. juxtra crucem, eam à Christo in Matrem accepit; ita ſi meditatione frequenti*

*illi ad crucem aſtiteris, idem te impetraturum eſſe confide. S. Elzearium*

*consulamus, quem adhuc infantulum ad preces Garzendæ piſſimæ Ma-*

*tronæ Christus Dominus SS. Matri ſuæ, velut alterum Joannem com-*

*mendavit: Ne fiſ ſollicita, inquietabat Christus ad Garzemandam, ego enim il-*

*lum jam commiſi mee Matri, eāmque dedi illi in Magistrum. O quantus*

*Disci-*



Discipulus sub tali ac tanta Magistra! virginitatem in honorem hujus dolorosæ Virginis etiam in conjugio servavit illibatam, fere assiduo per meditationem habitans in Vulneribus & CORDE JESU! o utinam omnes, qui Christiano gloriantur nomine, hanc dolorosam Virginem in Matrem eligerent, simul & Magistram, ejusque salutaria monita ac doctrinam audirent: *Beatus, inquit ipsa, qui andit me; qui me invenerit, Prov. 8. 34.* invenerit vitam.

7. Mirabilis fuit illa visio, quam quondam Jacob de via fessu, capite super lapide inclinato, placidam captans quietem habuit, ubi prodigiosam illam scalam super terram stantem, atque cacumen ejus celos tangens, Angelos quoque per eam ascendentibus & descendentes, ac denique ipsum cœli terræque Dominum huic scalæ innixum conspicatus est, ex qua visione mirum in modum confortatus, & insolitâ letitiâ perfusus, de somno evigilans exclamavit: *Verè Dominus est in loco isto, &c.*

Gen. 28. 16.

Plura in hac pereleganti figura abscondita sunt mysteria, quæ à diversis diversimodè dilucidantur; sed ad nostrum propositum peroptime A Lapide: *Dominus, inquit, scala incumbens est Christus in cruce pendens;* Cornel. &c. *crux enim est scala & via, per quam Christus, omnesque Christiani in cœlum conscenderunt, & in dies descendunt;* neque aliam tibi viam finge, aut pinge, prudens Lector!

Per eandem mirabilem scalam S. Bernhardus SS. Deiparam ac S. Bernh. de Matrem dolorosam subaudit: *Hec, inquit, est scala Jacob,* &c. per quam, B.V. p. 394. & qua mediante Electi, imò & peccatores verè contriti ac pœnitentes ad cœlestem patriam possunt ascendere. Ita quondam vidit V.P. Leo Ex Chronica intimus S. Francisci Seraphici Socius, cui in visione duæ objectæ sunt Minorum scalæ, rubei coloris una, altera candidi, quarum summitas apicis ad Latino lib. cœlum usque pertingebat; rubræ innixus erat Christus non amæno, sed subirato vultu ad severum animas evocans tribunal; & dum plures per scalam illam ad cœlum contendebant evadere, casso labore ac superiore vi repulsa à summo deorsum corruerant, dum interim aliæ animæ per scalam niveam, quam SS. Virgo & Mater Christi tenebat, facili conatu ad cœlum conscenderunt. O quād dispar hic erat eventus! Mysterium accipe.

Licet pientissimus orbis Reparator Christus per passionem ac mortem suam condignè & abundanter pro nobis apud Patrem satisfecerit: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci;* Et hinc meritò omnis spes

312 *Confideratio XXXVIII. Cur B. Virgo S. Joanni commendata?*

spes nostra & tota prædestinationis series in meritis & passione Christi  
debeat esse fundata; sed quia simul & districtissimi Judicis officium su-  
stinet, qui secundum justitiam & nostra judicabit merita ac demerita;  
ideò necessaria valde nobis est dolorosæ & plentissimæ Matris miseri-  
cordia, qua erigamur, & fulciamur, potens enim est, quia Mater Judi-  
cis. Proinde rectè ad illius clementiae thronum omnes appellant mi-  
seri, ut per merita crucifixi JESU, & potentissimam hujus afflictissimæ  
Matris intercessionem vitâ gratiæ & gloriæ æternum vivant: Potens est,

Rich. à S.  
Laur. lib. de  
Iaud. Virg.  
part. I.  
Job. 17. 5.  
Gen. 41. 56.  
subintrat hic Richardus à S Laurentio, *MARIA ad protegendum: Unde  
ipsi potest securè dicere servus ejus illud Job: Pone me juxta te, & cujusvis  
manus pugnet contra me. Et nunquid olim in Ægypto à Pharaone di-  
ctum fuit: Ite ad Josepb, & quidquid ipse vobis dixerit, facite. Erat fine  
dubio solus ille Pharaon Ægyptiorum Rex, & terræ illius, atque subdi-  
torum Dominus, voluit tamen realiter honorari Josephum, dum ei ple-  
nariam conferebat autoritatem pro libitu de alimentis & subditorum  
salute disponendi. Ita benignissimus D E U S & Homo Christus Rex  
seculorum, ut SS. Matrem suam honoraret, voluit, ut per eam cum  
dona gratiæ & gloriæ, aliisque corporis & animæ bona obtineamus,  
*Ite proinde, ô Clientes Mariani! ad hanc SS. Matrem ve-  
stram, & hanc dolorosam, & quidquid ipsa  
vobis dixerit, facite.**



CON.